

suavissimus. Tanta autem fuit adventantium multitudo, quantum aut locus admisit, aut viâ vel semitâ capere potuerunt. Omnes febricitantes vel frigoritici, qui adveniebant, sani revertebantur; leprosi autem, surdi, muti et claudi multi curabantur. Afferebanturque qui venire non poterant in lectis et grabatis, et ex odoris fragrantia sospites revertebantur. Septimo demum die a transitu ipsorum abbas Aicardus, congregatis fratribus sancti monasterii, ad funus adfuit. Misit quoque et accersivit sanctissimum senem, Turonicæ 1282 sedis civitatis præsulem <sup>a</sup>, beatum

A Bricium una cum clero et populo: inique consilio, sicut erant vestiti, sepelierunt eos in ipsa cœlia vel oratorio, ante altare ipsius oratorii, a beato Martino cum pignoribus sanctorum consecrati. Transierunt autem pridie Idus Novembris, secundo die a festo quo celebratur transitus sancti Martini, et depositi sunt <sup>b</sup> XIII Kalendas Decembris. Qui sepulti terris, in Christo se vivere manifestant virtutibus et miraculis, præstante eodem Jesu Christo Domino nostro, qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

<sup>a</sup> Sic Clar.; alii, *archiepiscopum*. Quo nomine Gregorii arvo Metropolitanus in Occidente non donabatur. Nec eo alias usquam usus est Gregorius.

<sup>b</sup> Sic Clar.; alii autem, *sepulti que sunt*. Ex his collige non semper *depositionis diei* nomine intelligi eum qui fuit obitus. Sacra eorum corpora in capsis servantur retro majus altare principalis basilicæ Majoris

monasterii. Porro præter hos Septem Dormientes, sunt alii item celebres apud Ephesum, de quibus agit Gregorius cap. 95 libri 1 de Gloria martyr. Septem item in Germania Dormientes laudat Paulus Diac. in lib. 1 de Gestis Langob. cap. 4, qui ab istis post Baronium Marollo alii esse non videntur.

*Explicit vita et mors Septem Dormientium.*

INCIPIT PROLOGUS BEATI GREGORII TURONORUM ARCHIEPISCOPI IN VITAM <sup>a</sup> BEATI MAURILII EPISCOPI ET CONFESSORIS.

(*Ex compluribus Codd. mss.*.)

Sanctissimo sanctæ Parisiorum matris Ecclesiæ præsulum domino Germano, Gregorius Turonicæ metropolis humilis episcopus, salutem. Petisti sane uti Vitas et miracula quæ Dominus per beatum Maurilium atque Albinum Andecavorum antistites operari dignatus est, quas Fortunatus presbyter luculento sermone descripserat, scriptorum vitiiis jam pene depravatas, nostræ auctoritatis peritia corrigeremus, vestræque Devotioni, qui priorum exemplis proficere cupitis, misissemus. Sed nos recolentes, si id egerimus, perfidorum nos latratibus atque morsibus, qui doctrinam quærere nesciunt sed invidere, dilaniari; duplicitis tædii mœrore concutimur, dum et vestris non parere jussionibus, ipsisque displicere metuimus. Fisi tamen Omnipotentis promissionibus, qui per prophetam suum loquens innotuit, quia *qui seminant in lacrymis metent in gaudiis* (Ps. cxxv, 6), vestræ satisfaciam voluntati. Scimus namque quia si quæ digna sunt imitari, et alteri possunt sæculæ prodesse, sanctissimorum Christi confessorum Vitas atque virtutes stylo quis digesserit, correxeritque vel rustico, et sibi mercedem, et imitari volentibus conferet adusque salutem. Permaximas igitur pretiosissimorum Christi confessorum Maurilii atque Albini virtutes non loqui, sive corrigere, quia memoria dignæ sunt, crimen ducentes, plebeio, ut postulastis, utentes calamo, quo potius vulgaribus prosint, de plurimis pauca, sed tamen, Deo teste, verissima corrigemus, omittentes plurima a Fortunato edita, quæ fortassis infidelibus incredibilia viderentur. Quæ vero a nobis correctæ sunt vestræ Sanctitudinis petitioni dignius offerenda putavimus, ut qui illos imitari gaudetis, illorum proficiatis virtutibus informati.

INCIPIT VITA SANCTI MAURILII.

Igitur Maurilium Mediolanensis oppidi indigena existit parentibus splendidissimis, etc. (*In Codice Patriciacensi, de Percy, in Burgundia, ab amicis circiter octingentis scripto, post Vitam sancti Albini, quæ For-*

*tunato tribui solet, habetur hæc clausula: Explicit Vita beati Albini composita a beato Gregorio Turonicæ urbis episcopo.)*

<sup>a</sup> Melius diceretur *in vitas beatorum Maurilii et Albini*. Has vitas quæ sub Fortunati nomine alibi receduntur, si scire velis qua de causa hic exscribere

nolnerit Ruinartius, consule præfationem num. 80. col. 65. EDIT.

SANCTI GREGORII EPISCOPI TURONENSIS ANTIPHONA DE SANCTIS MEDARDO ET GILDARDO, EPISCOPI ET FRATRIBUS.

(*Ex ms. Codice apud Surium die 8 Junii.*)

Avete, magni toto orbe præsules, ortu gemelli, sanitate compares, sacri simul, coronati pariter, juncti dieastis diem festum: meritis sancte Medarde cum Gildardo inelyto, opem poscenti semper ferte populo.